

regis Romanorum, quia solennes valde nuncii et laici et clerici asportaverant sibi decretum electionis dicti regis solenniter sigillatum et procuratorium sufficientissimum. Quibus cito non respondit, sed per plures dies eos tenuerat; et cum frequenter instarent, papa tunc incepit in negotio procedere non properando se, immo tenuit huiusmodi negocium per octo septimanas; et pluries quesiverat a dominis Tusculano, Stephano et R(aimu)ndo nepote suo cardinalibus, an aliquid scripseratis eis. Qui semper dixerunt quod non. Et tunc in nona septimana, cum salva consciencia non posset ulterius dictum negocium protelare, ut dicebat, approbando dictam electionem diffinivit¹ ipsum ad imperium et coronam recipiendam debere venire et terminum a festo Candelose tunc proximo venturo in duos annos² prefixit. Et hec omnia fecerat de consilio et consensu omnium et singulorum cardinalium, excepto unico, quem non nominavit; sed credimus per coniecturas, quod fuit . . Penestrinus. Ipse tamen, ut papa asserit, finaliter consensit. Et post hoc cum ex parte domini G. de Nogareto dictum fuisset dictis cardinali Burdegalensi et camerario, quod verba, que dixerat eis tangencia regem Alemannie, propter malum ipsius non dixerat, quia confederatus vester erat, nec ad malum . . regis Sicilie, quia consanguineus vester erat, sed ea que dicebantur^a sibi revelabatis ad aperiendos oculos domini pape circa pericula, que^b possent ecclesie et aliis ex consideratione predictorum processu temporum evenire, et nosmet repetimus ista coram papa de mandato domini G. (18) Qui papa referens se ad verba premissa dixit, quod illum regem promoverat ad honorem et tuitionem ecclesie et pro pace danda discordantibus in partibus Ytalie, qui erant, ut^c dicebat, bene tertia pars catholicorum mundi. Et circa commendationem ipsius regis multa nobis recitavit et dixit, quod in facto dicti regis Romanorum bene providerat ad honorem et tuitionem ecclesie et vassalorum et devotorum eiusdem; et cum tali quali risu dixit, quod statim nobis ostenderet tale quid, de quo daret nobis magnam letitiam. Et tunc fecit afferri per camerarium processum approbationis electionis dicti regis in quodam registro contentum et in presentia nostra legi et postmodum quandam litteram sigillo ipsius regis

a) 'ea — dicebantur' über der Zeile mit dunklerer Tinte und anderem Ductus, wohl von anderer Hand Or. b) Folgt getilgt 'exinde' Or. c) fol. 2.